



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

VV. Episcopo Sancti Andreae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

sona propria laboranti, vel necessarium auxilium impendenti, quàm hominibus terræ tuæ, qui contra perfidos arma susceperint expugnandos, illa valeat remissio peccatorum quam his qui laborant pro terræ sanctæ subsidio duximus indulgendam, cujus necessitatis te ac illos volumus esse memores, ne contingat illius impedire succursum. Datum Romæ apud S. Petrum XV. Kal. Decemb. an. X.

In eundem ferè modum univèrsis Comitibus, Baronibus & Militibus, & univèrsis Christi fidelibus in regno Franciæ constitutis. Eadem dat.

In eundem ferè modum .. Trecent. & .. Viromanden. & .. Elesen. Comitissis. Eadem dat.

In eundem ferè modum .. Comiti Barren. Eadem dat.

In eundem ferè modum .. Duci Burgundie & .. Nivernen. & .. Droacen. Comitibus & No. vi. G. de Donpierra. Eadem dat.

VV. EPISCOPO SANCTI ANDREÆ.

Epist. 150. De suppletione negligentia parochorum.
IN nostra præsentia tua proposuit fraternitas conquerendo quòd cum quidam monachi & alij viri religiosi quasdam parrochiales Ecclesias in tua diocesi teneant ad usus proprios deputatas, & in quibusdam aliis, pro quibus annuum censum accipiunt, jus obtineant patronatus, cum eisdem Ecclesiis vacare contingit, Capellanos & alios Clericos instituendos ibidem tibi, prout de jure tenentur, negligunt præsentare. Unde nobis humiliter supplicasti ut tibi super hoc dignemur utiliter providere. Quocirca fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus quatenus si prædicti religiosi viri, vacantibus Ecclesiis quæ prædictis modis ad ipsos pertinere noscuntur, tibi, prout de jure tenentur, Capellanos vel Clericos infra tempus à canonibus diffinitum malitiosè præsentare contempserint, tu eisdem Ecclesiis de personis idoneis providendi liberam auct. nostra suffultus sub. cujuslibet contrad. & app. ob. habeas facultatem, ita tamen ut propter hoc nullum eis præjudicium generetur. Datum Sutrij Id. Novemb. anno decimo.

EPISCOPO PARIISIENSI.

Epist. 151. Numerus Magistrorum Theologorum Academicæ Parisiensis definitur.
Sicut expedire credimus ut apud civitatem Parisiensem, ad quam pro sacre pagine disciplina celebris recursus habetur, Theologorum sit copia Magistrorum, qui parvulis petentibus panem fran-

gant, & esurientes animas reficiant pabulo verbi Dei, sic etiam decens est ut ipsorum numerositas refrenetur, ne forsitan propter onerosam multitudinem, quæ nihil habet honesti, vel vilescat eorū officium, vel minùs compositè impleatur, cum Deus omnia fecerit in numero, pondere, ac mensura. Hac igitur consideratione prudenter inducti, auct. præ. firmiter inhibemus ut Parisius Magistrorum Theologiæ numerus octonarium non transcendat, nisi fortè multa necessitas vel utilitas hoc exposcat. Nulli ergo &c. nostræ inhibitionis &c. Si quis autem &c. Datum Sutrij XVIII. Kal. Decembris anno decimo.

EIDEM.

SOlet annuere &c. usque impertiri. Cum igitur examinationem quorundam, qui à te vel præd. tuis ad sacros ordines sunt promoti, quibus provideri mandamus in beneficio competenti, nunquam aliquibus committamus, auctoritate præsentium firmiter inhibemus ne nisi te vel responsale tuo præsentè ad examinationem hujusmodi procedatur, ut contra examinandos tibi proponere liceat quicquid rationabiliter duxeris proponendum, ita quòd per examinationem aliter attentatam nullum tibi præjudicium generetur, nisi forsan evocatus legitimè in elusionem mandati nostri examinationi hujusmodi per te vel responsalem idoneum neglexeris interesse. Nulli ergo &c. nostræ inhibitionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

EIDEM.

Cum in Lateranen. Concilio sit statutum ne monachi &c. fraternitati tuæ, de qua certam fiduciam gerimus per ap. sc. m. q. si quem monachum in aliqua Ecclesia dioecesana tibi lege subjecta singulariter inveneris habitare, ipsam mo. præ. per cen. ecc. app. re. compellas ut vel ad suum monasterium redeat, vel aliquem honestum fratrem secum habeat commorantem. Datum in alia.

EIDEM.

AD nostram noveris audientiam pervenisse quòd tam à monachis & aliis viris religiosiis quàm à Clericis secularibus tuæ dioecesis multa gravia committuntur, quæ si non fuerint superioris lima correctæ, graviorum excessuum ma-

Epist. 152. Mandata de providendo quomodo in executionem mittenda.

Epist. 153. Ne monachi singulares sint in monasteriis.

Epist. 154. Ut monachos & clericos suæ dioecesis corrigat.